





1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

17,5 15

DISPUTATIO QUINTA

EX EPISTOLA AD

ROMANOS, CONTINENS

ἐνάλυσιν secundæ partis capituli  
tertij;

*Cujus positiones, divina adjuvan-  
te gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-

GIO, S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-

*fessore, in Academia Vitebergensi, in privato dispu-  
tationum Theologicarum collegio de-  
fendet, 28. Februarij.*

M. ENGELBERTVS ENGELS

*Marco duranus.*



VVITEBERGAE.

*Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1596.*



Viris  
PIETATE, PRU-  
DENTIA, HUMANITATE,  
*alijsq; virtutibus egregie*  
Ornatiss.

Dn. MICHAELI BODIO  
Dn. IOHANNI BODEKHER  
Dn. IOHANNI SCHOLIER

*Civibus Francofurtensibus, Dominis suis  
omni observantia cultu, nec non de-  
bita gratitudine nunquam non  
prosequendis,*

Propositiones hasce Theologicas ex tertio  
Epistolæ Pauli ad Romanos capite de-  
sumptas, in perpetuum  
grati animi

ΜΟΝΟΝ

D. D.

M. ENGELBERTVS ENGELS  
Respon.

## SECUNDA PARS CA PITIS TERTII

*Nunc autem sine Lege &c.*

**P**ostquam Apostolus prima tractationis parte ἐναρκωσικῆ demonstravit, ex Lege tam naturæ quam divinæ neminem justificari, cum ea tantum arguat hominum peccata, et sistat totum mundum reum in iudicio Dei: Deinceps parte secunda transit ad explicationem ἑκατασκειῆς veræ sententiæ de justificatione hominis coram Deo, cuius naturam per causas ordine explicat, & aliquot argumentis evincit Iustitiam nostram gratuitam & imputatam esse ex fide, non inherentem ex interioribus qualitatibus aut operibus. Hoc itaq; capite initio doctrinam de Iustificatione tractat, tum ad quasdam Iudæorum objectiones breviter respondet: Textus explicationem, tractationi doctrinali insertam proponemus.

### THESES DE IUSTIFICATIONE,

**V**id verbum justificare in hoc articulo significet acri contentione disputatur inter Ecclesias orthodoxas & Pontificias. Iesuitæ & monachi retinent proprietatem latini sermonis, quo Iustificari is dicitur, qui iustitiæ habitu imbuitur, & vel ex impio infusa qualitate fit justus per acquisitionem iustitiæ, vel ex

justo fit magis justus per justitiæ incrementa. Bellarm. lib. 1.  
de justific. cap. 1. & lib. 2. cap. 3.

II.

Pro significatione hac asserenda asserunt hæc testi-  
monia scripturæ: Primum ex 1. Cor. 6. Et tales quidem  
fuiſtis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati e-  
stis. Vbi ex connexione membrorum, qua justificatio san-  
ctificationi postponitur, colligere volunt, vocabulo Justifi-  
candi significari inhærentem qualitatem in nobis.

III.

Sed hoc argumentum infirmum hinc esse patet, quod  
per principij petitionem hoc sumit pro confesso, quod erat  
demonstrandum: Paulus enim hoc loco non monstrat or-  
dinem ac seriem, qua Deus in nobis salvandis utitur, sed  
simpliciter præcedenti enumerationi scelerum & flagitio-  
rum subjungit beneficia Dei, eaq; opponit inter se.

IV.

Et quænam quæso consequentiæ ratio est? *Justificatio  
in hoc dicto postponitur sanctificationi: Ergo ea est naturâ poste-  
rior: Hoc ne ipsi quidem Pontificij concedunt: Cum mul-  
ta scripturæ dicta diversam collocationem monstrent: Ut  
Eph. 4. vers. 24. Novus homo creatur in justitia & sancti-  
tate vera,*

V.

Non minus inepta etiam hæc est illatio: *Postponitur  
justificatio sanctificationi in allegato loco: Ergo justificatio signifi-  
cat inhærentem qualitatem in nobis: Proceditur enim à dispa-  
ratis, nimirum ab enumeratione operum Dei, ad propri-  
am Verbi justificare significationem liquidò demonstnan-  
dam,*

VI.

Alterum testimonium quod Bellarminus adducit, est  
ex Epistolæ hujus nostræ cap. 8. *Quos vocavit, hos justifica-  
vit: Ergo vocabulum justificandi significat hoc loco acquisitionem  
justitiæ inherens.*

Sed

VII.

Sed præter ineptam principij petitionem, nihil est in hoc argumento, quod considerare sit operæ precium: Non enim docet hoc loco Apostolus, quæ sit propria vis vocabuli, quæ justificationis natura, sed monstrat ordinem, quo Deus utitur in hominum salute procuranda, videlicet quod ab æterno prædestinatos vocat, justificat, glorificat.

VIII.

Tertium testimonium ex cap. 4. hujus Epistolæ petit Iesuita: *Deus justificat impium. Ergo infundit illi justitiam inherentem*, qua ipse in se justus sit & judicio Dei consistat. Vel sic: Justificationis igitur vox significat justitiæ inhærentis acquisitionem: Hoc scilicet est principium petere. Satis fuit Bellarmino dicta hæc tanquam in re nota ascribere, cum tamen in re maximè momenti & admodum controversa validissimis argumentis pugnandum fuisset.

IX.

Ex libr. 2. de justificati: cap. 3. alia in hanc sententiã dicta atque argumenta à Iesuita proposita recensebimus: Sit igitur quartus locus ex cap. 5. Epistolæ ad Romanos vers. 19: Vbi vocẽ justificare explicat Apostolus per justum constituere, Ergo vocabulo justificationis intelligit inherentem justitiam. Respondeo nondum disputatur de summa rei, an justus coram Deo simus per & propter justitiam Christi nobis imputatam: Sed de vi vocis quæritur.

X.

Quærere autem libet, Ex quo nam scriptore sacro vel profano didicerit Iesuita talem vocis *κατ' ἑσῆσόντα* significationem? Est igitur in hoc quoque Sophismate ineptum illud *τὸ ἐν ἀρχῇ αὐτῶν*: Quin imo verbum constituendi non minus forensẽ est, quam justificandi, Sicuti Paulus Rom. 10. vers. 3. utitur vocẽ *σῆσα* de Iudæis, volentibus propriam justitiam opponere judicio Dei.

XI.

At diceret Iesuita, ex argumenti evidentia colligi talem hoc loco utriusq; verbi, nimirum justificari & justum

constitui significationem esse oportere. Id verò nihil juvat hanc causam: Alia enim quæstio est, an ex scriptura liquidum sit, quod vox justificare significet justas qualitates infundere, quod quidem Iesuita probandum suscepit, sed neque hoc neque ante allegatis testimonijs id effecit: Alia, an Iesuitæ hanc significationem ex quibusdam doctrinæ dictis eliciant: Id verò non inficiamur, dummodo hoc addamus falsò id fieri & Sophisticè.

XII.

At inquit, sic in Christo constituimur justī, sicut in Adam constituti sumus injusti, injustitia verè nobis inhærente. Respondemus alium esse scopum Apostoli in proposita collatione Adami & Christi, videlicet monstrare fontem & amplitudinem utriusque extremi, justitiæ & injustitiæ, quarum hæc ab Adamo, illa à Christo originem trahit.

XIII.

Interim verò membra applicationis non per omnia respondere certum est: Exempli gratia: Sicut per carnalem generationem in nos propagatur originalis culpa, ita per carnalem generationem in nos derivatur justitia coram Deo valens: Sicut omnes omninò homines ex peccato Adæ verè contraxerunt labem originale & sunt injusti: Ita omnes omninò homines ex Christi justitia veram habent justitiam inhærentem & sunt justī. Ex hisce conclusionibus vitiosis manifestum est, non posse nec debere collationem obedientiæ Christi & inobedienciæ Adami, & utriusque effecta latius extendi, quam intentio textus Apostolici permittit.

XIV.

Quintus locus est ex Danielis 12. cap. vers. 3. Qui justificant multos, fulgebunt sicut stellæ cœli: Hoc loco, inquit Iesuita, justificare nihil aliud est nisi justum facere. Addit etiam confutationem eorum quæ à nostris opposita sunt huic manifestæ depravationi. Quis verò etiam hic principium peti ab adversario non videt?

Fate-



XV.

Fatetur enim locum hunc esse intelligendum de doctoribus & ministris Ecclesiae. Est igitur Propheticum enunciatum: Doctores & ministri verbi Dei multos justificant: Qua id ratione faciant, quaeritur? Vtrum infundendo auditoribus justitiam, an pronuntiando eos justos secundum Evangelij vocem & absolvendo à judicio Dei,

XVI.

Neminem Iesuitarum usque adeo delirare arbitror, ut doctoribus Ecclesiae & ministris dicat potestatem & vim datam esse infundendi auditoribus suis habitum justitiae: nisi forte creatori suo Pontifici Romano hanc praerogativam vendicant: de quo tamen nondum liquet. Collabitur itaque interpretatio Iesuitica, & relinquitur altera vera, & nostra.

XVII.

Hic insurgit Iesuita in nostrum D. Chemnitium, asserentem, justificare hoc loco intelligi debere secundum forensam significationem: Non inquit, qui praedicat Evangelium pronunciat homines esse justos more judicis, sed aperit viam ad justificationem qua justii efficiantur ex injustis. Haec ille. Quibus primò evidens inest contradictio. Ante dixerat pag. praecedenti. Verbum justificare hoc loco idem esse quod justum efficere, seu habitum ac qualitatem justitiae infundere. Nunc ubi hoc κενόμενον probandum erat, justificare ait esse idem quod viam monstrare ad justificationem. Haecine sunt ἰσοδυναμῶντα?

XVIII.

Deinde etsi ministri Evangelij, annunciantes remissionem peccatorum verè poenitentibus, non funguntur officio judicis, tamen sustinent vicem praekonis: Sicuti igitur judex sententiam conceptam pronunciat, quam praeco publicè significat personae judicatae, Qua ratione uterq; suo quodam modo dicitur reum absolvisse vel condemnasse. Ita solus quidem Deus fert sententiam judicis, sed eam hominum ministerio denunciari & applicari vult hominibus.

Vnde

XIX.

Vnde Deus omnia sua opera cum ministris verbi quasi communicat, ut cum ipse solus propriè loquendo liget & solvat, justificet & salvet, Ministri Evangelij ipsi quoque dicantur solvere & ligare Matth. 16. Iohan. 20. justificare Daniel. 12. vers. 3. Salvare auditores suos. 1o Tim. 4. vers. 16.

XX.

Manifesta igitur est ex his sententia dicti Daniel. 12. quod videlicet doctores Evangelij multos justificent, prædicatione Evangelij, annunciando vel in genere omnibus pœnitentibus, vel singulis in specie gratuitam remissionem peccatorum, & absolutionem in iudicio Dei, à sententiâ condemnationis.

XXI.

Sextus locus ex Esa. 53. cap. vers. 11. In scientia sua servus meus justus justificabit multos, & iniquitates ipsorum ipse portabit. In hoc dicto vult Iesuita verbum justificare valere idem quod justitiæ habitum infundere: Quia nimirum verbum Hebræum Iazdik sit in hiphil, & significet justum facere. Verum inani hoc effugio nihil efficit nisi quod Principium petit, cum hoc in quæstione versetur, an verbum Zadak Hebræi usurpent in hiphil in significatione effectiva, an verò declarativa.

XXII.

Verba enim Hebræa in Hiphil non semper actionem, sed permissionem & declarationem sæpe significant ut Proverb. 17. vers. 15, Mazdik, hoc est, justificans impium Vmarschiah, hoc est, & impium faciens justum, est abominatio coram Domino. Utrumque verbum est in hiphil & neutrum tamen effectivè, sed utrumque declarativè est exponendum. In proprietate itaq, Hebræi sermonis nihil habet Iesuita præsidij.

XXIII.

Dixerat noster D. Chemnitius in hoc quoque dicto, verbum justificare accipiendum esse pro eo quod est justum  
pronum-

pronunciare seu declarare. Quæ explicatio vera est, & textui consentanea, quod nimirum Christus justus, factus servus propter nos, portans peccata nostra, & præstans Legi Dei perfectam obedientiam, multos iustificet per scientiam sui, hoc est, per veram fidem in se, pronunciat liberos à peccatis, ira Dei & legis maledictione. Sumitur enim per Synechdochen usitatam scripturæ, pars pro toto, noticia pro fide justificante.

#### XXIV.

Explicationem hanc quatuor argumentis evertere conatur Iesuita.

Primo: Quia Christus iustificat in scientia sua, hoc est, docendo vel per doctrinam suam. Ergo per infusionem novæ qualitatis. Verum nihil tale habet textus, qui de scientia quatenus Christum agnoscit & amplectitur, non quatenus eam Christus docendo in nobis efficit, loquitur.

#### XXV.

Secundò: Ipse justus nos iustificat, hoc est, operando in nobis seu efficiendo justitiam. In forensi verò justificatione necesse non est, ut is qui alium pronunciat justum ipse sit justus.

#### XXVI.

Respondemus diversitatis rationem non in modo justificandi, verum in causa consistere. Cum enim iudex civilis in foro impium iustificat, ipse injustus est & abominatio coram Domino. Proverb. 15.

Quando verò Deus impium in iudicio suo absolvit & iustificat, ipse est & manet justus, non quod iustitiæ habitum infundat impio, nec tantum propter æternam, & immutabilem suam iustitiam: Sed quia non iustificat impium per incuriam, aut prosopolepsiam, aut errorem, ut iudices civiles, nec propter imperfectam quandam iustitiam operum, seu Legis nobis inhærentem, ut Papistæ senti-

B

unt.

ant. Verum interveniente precio longè præstantissimo, Christi nimirum merito, quod pro se quoque persolutum peccator pœnitentiã agens apprehendit, & fide sibi applicat. Verè itaque dicitur ab Apostolo, Deum justum justificare eum qui est ex fide Iesu Christi Rom. 3.

### X XVII.

Tertiò Christus ut servus Dei justificat nos ministrando: Ergo non ut Iudex judicando. Inscitiãne an impudentia hujus Sophismatis sit major, non satis liquet. Hoc enim est Christum de tribunali perturbare, eique omnem judicandi potestatem à Patre datam (Ioh. 5.) eripere,

### X XVIII.

Concurrit autem Christus in justificationis nostræ negotio utroque respectu, ut servus ratione præstitæ obedientiæ & acquisiti beneficij, & ut iudex ratione efficacitæ & applicationis. Atque ita utroque modo justificare credentes in se rectè dicitur. Nos vero hic de posteriore, hoc est, de beneficij per Christum parti applicatione potissimum agimus.

### X XIX.

Eodem tendit quarta exceptio Iesuitæ, qua verbis Prophetæ sequentibus fatetur notari causam quare Christus credentes in se justificet, quia nimirum iniquitates nostras ipse portat: Quæ causa justificationis nostræ impulsiva est, & meritoria, quam ineptissimè confundit Iesuita cum causa finali, allegans dictum ex 1, Petr. 2. quo dicitur Christus peccata nostra pertulisse in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis. Vbi vides inter reliquos etiam hunc effectum esse meriti Christi & justificationis nostræ ut justè & innocenter deinceps vivamus peccatis mortui. Sed quid hoc ad evincendam propriam significationem verbi justificare?

Vidit

### XXX.

Vidit hoc Iesuita infirmius esse quam ut tantam molem sustinere queat, quare ubi res ipsi redijt ad triarios, producit locum ex Apoc. 22. ubi ait justificare *nullo modo* posse accipi more forensi, agnoscens nimirum præcedentium probationum enormia Sophismata,

### XXXI.

Verum ne hoc quidem dicto liquidò id efficitur, quod Iesuitæ volunt, Primò enim distinguitur justificatio à sanctificatione, quo ostendit Apostolus, se justificationem intelligere de distincto actu à sanctificatione, quam inhærente dono nos etiam definimus. Deinde ambigua significatio est adverbij *adhuc*, quod vel de actus incremento accipitur, ut quo calidum fit calidus, vel de ejusdem continuatione aut reiteratione, qua idem in eodem statu manet, vel sæpius iteratur.

### XXXII.

Monet igitur Iohannes ut qui justificati sunt, (quod quomodo fiat hoc loco non docet) dent operam ut adhuc justificentur, hoc est, sint & maneat in gratia apud Deum, perseverantes in vera fide, & gratuitæ justitiæ imputatione rectè utantur. Sed quid hoc ad Pontificiam verbi justificare significationem?

### XXXIII.

Et hæc sunt scripturæ dicta, quæ pro figmento suo stabiliendo afferre Iesuita voluit, quibus quam sit nihil effectum, ex præcedentibus patet. In scriptis Patrum significationem, pro qua adversarius pugnat, usitatam esse non negamus, sed nos de Scripturæ sermone quærimus. Malitiosa vero calumnia est, qua dicit nos acquiescere non velle, nisi ex Cicerone & Terentio convincamur,

### XXXIV.

Porro quaestio de propria significatione verbi iustificare duplicem considerationem includit. Aut enim in genere quaeritur, quomodo sacra scriptura hanc vocem ulurpet; Aut quomodo in hoc articulo, ubi de iustitia nostra coram Deo agitur sit intelligenda.

### XXXV.

Non est igitur satis ex scripturae dictis demonstrare, quod alicubi iustificandi verbum sit intelligendum in forensi significatione, vel de iudiciali sententia, ut Proverb. 17. vers. 15. Qui iustificat impium & condemnat iustum, uterque est abominatio coram Deo, Deut. 25. vers. 1. 2. Reg. 15. vers. 4. &c. vel in genere de approbatione, testimonio, excusatione, ut Luc. 7. vers. 29. populus & publicani iustificaverunt Deum, id est, approbarunt Dei consilium, quod Pharisei spreverunt, Luc. 10. vers. 29. Scriba volens se iustificare, id est arrogare sibi laudem iustitiae Luc. 16. vers. 15. Iustificatis vos coram hominibus. &c.

### XXXVI.

Sed hoc maxime est demonstrandum, quomodo in articulo doctrinae de iustificatione & in propria sede huius argumenti, Apostoli utantur hac voce, an in sensu Pontificio de infusione habitus iusti, an vero in significatione iudiciali de pronuntiatione & absolute in iudicio Dei.

### XXXVII.

Verfamur nunc in explicatione tertij capitis Epistolae ad Romanos, quo tanquam in proprio loco tractari hoc argumentum extra controversiam est. Ostendit autem perspicue Apostolus qualem intelligat iustificandi rationem: In praecedentibus enim accusavit totum mundum peccati: In peccato vero duo sunt ἀνομια, hoc est privativa & positiva mala & reatus,

Non

### XXXIII.

Non tantum loquitur Apostolus de habitu malitiæ, aut originalis iustitiæ defectu sed diserte loquitur de reatu cap. 3. vers. 19. mundus est υπόδικος Θεῷ, vocat totum mundum ad tribunal Dei cap. 2. vers. 7. cap. 3. vers. 6. Accusatoris partes tribuit Legi Dei cap. 3. vers. 20. In hoc actu ait hominem iustificari fide per sanguinem Christi sine operibus.

### XXXIX.

Non est obscura sententia Apostoli in vocabulo Iustificare, Quæritur enim quidnam sit id, quo homo vocatus in iudicium Dei, accusatus, condemnatusque voce Legis, iustificetur, hoc est, liberetur à sententia Legis & pronuncietur iustus & innocens. Hic forensis significatio vocabuli iustificare tam est perspicua, ut sine insigni impudentia, & enormi in Spiritum sanctum, huius scripti autorem, blasphemia, negari nequeat.

### XL.

Consentiunt huic loco alia quoque Apostoli testimonia, ut imprimis locus supra allegatus ex Rom. 5. cap. vers. 16. & 18. Iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Vbi rigori iudicij opponitur gratia, condemnationi iustificatio. Hæc à foro esse translata manifestum est. Item Rom. 8. vers. 34. Deus est qui iustificat electos, quis eos condemnet. Luc. 18. vers. 13. Publicanus stans in iudicio Dei petit veniam & iustificatur.

### XLI.

Ideo scriptura totum actum iudiciale alibi plenius depingit, ut duplices reos, quorum alij vel non agnoscunt culpam, vel ei opponunt suam iustitiã quam volunt sibi constituere seu opponere in iudicio Dei, ut Luc. 13. Pharisæus. Rom. 10. vers. 3. Iudæi. Alij sunt rei confitentes, ut publicanus & hi impetrant remissionem gratuitam. 1. Io. han. 1. vers. 9.

XLII.

Adhæc scriptura adjungit alia judicij requisita ut Christi mediatoris intercessionem, tanquam advocati 1. Iohan. 2. vers. 1. offerentis se ad solutionem pro alieno delicto Gal. 4. vers. 4. 5. Christus factus pro nobis maledictum: Eiusdem sanguinem tanquam λύτρον pro peccato Rom. 3. vers. 25. XLIII.

Hæc paulo fusius tractanda fuerunt, ut in disputatione Paulina perpetuò in conspectu sit, Apostolum de justificatione hominis differentem, non agere de habitibus virtutum, earumq; infusione, de qua tanquam in schola Thomæ ociosè philosophantur Pontificij.

XLIV.

Sed docere quòd singuli homines vocentur per Legem ad tribunal Dei, accusentur & convincantur peccati, ita quidem, ut neq; in obedientia externæ disciplinæ (Rom. 1.) neque in observatione ceremoniarum, aut in alijs prærogativis (Rom. 2.) quicquam sit ipsis præsidij: Ac proinde nihil restare, quam horrendam expectationem judicij & æternæ damnationis,

XLV.

In hoc actu judiciali quæritur, Quænam sit justificatio peccatoris rei & damnati, quæ res, quam opponit voci Legis, quæ causa propter quam Deus peccatorem absolvat ab æternæ damnationis sententia? Hic omnes sani intelligunt profanam & planè alienam esse quæstionem de justificatione habituum seu inhærente perfectione:

XLVI.

Peccator enim in iudicio constitutus & seriò Legis fulmine percussus, non ociose disputat de perfectione habituum & infusa gratia, nec eam utpote imperfectam perfectissimo atque exquisitissimo iudicio Dei opponit, sed peccatum fatetur, & seriò affectu petit veniam & gratuitam remissionem, per & propter solius Christi meritum fide apprehensum. Ejus-



*XLVII.*

Ejusmodi peccatorem dicit scriptura justificari à Deo hoc est absolvi in iudicio & pronunciari iustum, non propter inhærentem perfectam iustitiam, sed gratis sine merito propriæ obedientiæ, propter imputatam Christi Salvatoris obedientiam, fide apprehensam. Cum qua imputatione iustitiæ Christi conjunctum est donum renovationis interioris inchoatæ in hac vita & perficiendæ in altera.

*XLVIII.*

Hanc esse Pauli & totius sacræ scripturæ constantem & perpetuam sententiam διαγγέλλωμ profitemur, quod ex textu proposito σὺν θεῷ planum faciemus.

*XLIX.*

Prima igitur quæstio est, unde petenda sit iustitiæ nostræ coram Deo definitio: Respondet Apostolus: *Nunc autem sine Lege iustitia Dei revelata est testimonium habens à Lege & Prophetis.* In quo versu quatuor consideranda sunt. 1. Quenam sit iustitia Dei de qua hoc versu & sequentibus differit Apostolus, 2. Quomodo ea nunc sit revelata, 3. Quomodo sit revelata Sine Lege, 4. Quæ habeat testimonia in Lege & Prophetis.

*L.*  
Iustitiam Dei hoc loco non intelligit Apostolus essentialem iustitiam, quæ est ipsa Dei essentia, neque eam quam Deus in gubernatione mundi exerit, bonos præmijs ornando, malos puniendo: Hæc enim iustitia Dei revelata est in Lege: Docet vero Apostolus se de tali iustitia Dei loqui, quæ sit revelata sine Lege: Proinde Osiandri commentum plane ab Apostoli sententia est alienum,

*LI.*  
Certum itaque est, hac phrasi notari iustitiam, qua homo iustus est, sed coram Deo. Quæ ideo *iustitia Dei* dicitur,

tur, tamen quia ex Deo est sicuti Philip. 3. vers. 9. dicitur, etsi non habet magnam speciem coram mundo & ratione humana, tamen valet coram Deo.

### LII.

Hanc iustitiam ait esse *revelatam*, videlicet in doctrina Evangelii, quia non potest peti ex principiis natura notis, sed ex sola divina patefactione. Rejicit itaque hoc membrum universam doctrinam Philosophorum de iustitia, quippe quæ non ex  $\phi\alpha\nu\epsilon\gamma\omega\sigma\alpha$  Deû speciali, sed generalitatem illa, de qua Romanor. 1. vers. 19, extructa est.

### LIII.

Eandem *nunc* ait *revelatam* esse, respiciendo ad tempus Novi Testamenti, non quod in Veteri Testamento non fuerit eadem iustitiæ consequendæ ratio, quæ in Novo, sicut Pelagiani olim triplicem comment sunt iustitiæ causam Legem naturæ, Legem Mosis, Legem Christi: Contrarium Paulus adducto Abrahami exemplo ostendit, Romæ. 4. Galat. 3. Sed nunc dicitur revelari in Novo Testamento, propter majorem lucem doctrinæ Evangelij, cujus proprius præco Christus est, novi testamenti mediator Hebr. 9.

### LIV.

Hæc iustitia *revelata* est  $\chi\omega\sigma\iota\varsigma\ \nu\omicron\mu\omicron\varsigma$ , quæ vox non tantum de Lege naturæ, sed etiam de Lege divina, de qua proximè præcedentibus verbis locutus fuerat prolata, manifestè testatur, quod Lex iustitiæ Christianæ ratione, qua in iudicio Dei consistere potest homo, nequaquam definiat: Inquam sententiam Apostolus Philip. 3. vers. 9. inquit: Ut inveniar non habens iustitiam meam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est.

### LV.

Lex Dei enim requirit ab uno quoque mortalium propriam obedientiam, quam creatura creatori suo debet, ac

ac proinde ignorat eam justificandi rationem, quã Deus in Evangelio revelat, nimirum quod per fidem aliena obedientia fiat nostra, & hac ratione iusti pronunciamur coram Deo,

### LVI.

Quando autem dicitur, quod hæc iustitia fidei *testimonia habeat in Lege & Prophetis*, usurpat Paulus vocabulum Legis lata significatione, videlicet pro doctrinæ Mo- sis & Prophetarum. Certum enim est eam multis modis in scriptis veteris testamenti propositam esse, ut disertis testi- monijs, exemplis Genes. 15. de Abrahamo Genes. 4. de Abele, teste scriptura Hebr. 11. Esa. 53. &c. & typis sacrifi- ciorum in Lege ceremoniali.

### LVII.

Quin etiam ipsa Lex moralis, accusans tantummo- do & terrens peccatorem manifestum edit testimonium de se, quod neminem in hac naturæ corruptione justificare queat, dicente Paulo Roma. 8. quod impossibile hoc sit Legi, & Galat. 3. vers. 21. quod data sit, non ut justificet & vivificet Galat. 3. vers. 21. Sed ut morbo monstrato pæda- gogus sit in Christum, adigens omnes ad quærendum me- dicum, Galat. 3. vers. 24.

### LVIII.

Altera quæstio est de causa instrumentali justificatio- nis. Sicuti enim ex parte Dei ejus beneficium nobis offer- tur verbo, ita ex parte nostri causa recipiens est fides: di- cente Paulo: Iustitia autem Dei *διὰ πίστεως* id est per fidem Iesu Christi, vers. 22. *ἐκ πίστεως* vers. 26. *πίσε* vers. 18. Vbi additur determinatio causæ instrumentalis exclusivæ, *καὶ οὐ ἐργων νόμος*.

### LIX.

In hac quæstione consideranda sunt, 1. fidei justifi- cantis forma, 2. objectum proprium, circa quod in actu justificationis occupatur, 3. natura exclusivæ additæ,

C

Fides

### LX.

Fides justificans non tantum est notitia & assensus amplectens totam doctrinam divinitus traditam, & in hac promissionem gratuita remissionis peccatorum, sed etiam fiducia, qua credens sibi hanc promissionem applicat, & statuit se propter solius Christi meritum justum esse coram Deo, & hæredem vitæ æternæ.

### LXI.

Quod fides justificans sit notitia cum assensu conjuncta concedunt Pontificij: Sed fiduciam in promissionem Evangelij, hoc loco notari inficiantur. Certum autem est scripturam non tantum loqui de sola notitia & assensu, quando inquit: Fide justificamur, sine operibus, Item justificati fide pacem habemus. Item Fide purificantur corda. Sed his & similibus testimonijs, notari fiduciam negari nequit.

### LXII.

Ideo scriptura alijs in locis seipsam interpretatur, ut Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Eph. 4. Per fidem audemus accedere ad Deum confidenter. Hinc vocatur *πεποίθησις* & *παρησία* Ephes. 3. vers. 12. *ὑποπόστασις* Hebr. 11. *πληροφορία*, cujus correlatum est promissio gratuita Rom. 4.

### LXIII.

Nec confundimus fidem cum spe, ut Bellarminus nugatur, cum eam fiducia definimus: Spes enim versatur circa promissionem de futuris bonis. Fides vero præsentia amplectitur beneficia, remissionem peccatorum, justitiam *ἡσθεσίαν* *δεῖ* &c.

### LXIV.

Objectum fidei justificantis commune, est tota doctrina divinitus patefacta omnesque promissiones: Adæquatam vero & proprium objectum est, promissio Evangelij de beneficijs Christi mediatoris, in quibus solis fides quærit

quærit reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum & acceptationem ad vitam æternam,

### LXV.

Ideo in hoc textu Apostoli vers. 22. ut & *Philip. 3.* vers. 9. Vocatur fides Iesu Christi, hoc est quæ Christum & beneficia ejus amplectitur & sibi applicat, & vers. 25. fides in sanguine Christi seu acquiescens in merito, quod Christus effusione sanguinis sui acquisivit. Et *Rom. 4.* vers. 25. Credentibus in Christum, quod ipse sit mortuus propter peccata, & resurrexit propter justificationem nostram, fides imputatur ad justitiam.

### LXVI.

Huc referenda sunt testimonia, quæ credentibus in Christum promittunt remissionem peccatorum *Act. 10.* vers. 43. justificationem *Act. 13.* vers. 39. Ius filiorum Dei. *Gal. 3.* vers. 26. liberationem à morte æterna *Ioh. 11.* vers. 26. & vitam æternam *Ioh. 3.* vers. 16.

### LXVII.

Quæ dicta non de historica fide, aut nudo assensu concionantur, quæ etiam sunt in Diabolis *Iacob. 2.* & impijs hypocritis *Matth. 7.* Sed describunt fidem eam, quæ est in Christum, qua cor totum pendet à Christo, & in ejus merito ac beneficijs acquiescit.

### LXVIII.

Determinatio fidei justificantis additur ab Apostolo vers. 28. ἄνευ ἔργων νόμου, quæ ita fidei justificandi vim tribuit, ut eam dilertè operibus adimat eaq; ne quidem in societatem huius actus admittenda doceat.

### LXIX.

Sæpe repetitur hæc exclusiva in scriptura *Gal. 2.* v. 16. Non justificatur homo ex operibus Legis nisi per fidem Iesu Christi *Rom. 4.* v. 5 Fides imputatur ad justitiam sine operibus. Et æquipollentes sunt propositiones sine lege *Rom. 3.* v. 21. non ex lege *Phil. 3.* v. 9. secundum gratiam, non ex operibus. *Rom. 11.* ver. 6.

### LXX.

Ex his desumpta est exclusiva sola fide, quæ retinenda est in Ecclesia ad evidentiam sensus scripturæ exprimendam,

& ut beneficium iustificationis soli Christo & misericordia Dei in solidum vendicetur, ut promissio nobis sit certa & firma, quam labefactari mentione operum nostrorum perspicuum est, ut denique adversariorum speciosæ declamationes evitari queant.

### LXXI.

Quamobrem rectè ceu bonus interpres fecit D. Lutherus, quod in germanica versione, volens mentem Apostoli exprimere, disertè expressit exclusivam Sola, alleit durch den glauben. Quod tum demum culpari debet, ubi præter Apostoli mentem id esse, demonstratum fuit, quod facturi sunt Iesuitæ ad Græcorum Calendas. Si idem licuit 70. interpretibus Genes. 3. vers. 11. ad exprimendam græci textus evidentiam, si latino interpreti 2. Par. 20. vers. 12. Quare non etiam in germanica versione eadem emphasis exprimeretur.

### LXXII.

Tertia quæstio in textu Apostolico est de subiecto iustificationis de quo vers. 22. & 23. Sic inquit: *Revelatur iustitia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes, qui credunt: Non est enim distinctio: Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei.*

### LXXIII.

Quibus exprimitur, ad quos iustitia Dei spectet, nimirum ad omnes omnino homines, & ad omnes credentes. Vtrumque igitur genus universalitatis coniungit Apostolus, alterum indeterminatum, alterum determinatione credentium limitatum, respiciens nimirum ad diversa quæstionum genera in hoc argumento.

### LXXIV.

Si enim quæras: Quibus nam illa Dei iustitia per fidem Iesu Christi necessaria est? Responder Apostolus: Omnibus omnino hominibus, sine ulla διασολῃ, quasi quidam ex operibus proprijs, quidam tantum iustificentur ex gratia,

gratia, alij ex Lege naturæ, nonnulli ex Lege Mosis ut  
olim somniarunt Sophistæ: Sed in universum omnibus ho-  
minibus hanc justificandi rationem necessariam esse docet.

### LXXV.

Necessitatis rationem demonstrat repetita ex præ-  
cedentibus causa, quia nimirum omnes peccaverunt, &  
egent seu destituuntur gloria justitiæ coram Deo. Loqui-  
tur Apostolus non tantum de actuali peccato, sed in gene-  
re de omni *ἀνομία* complectens universum genus huma-  
num, adeoque ipsos infantes in peccatis conceptos & na-  
tos.

### LXXVI.

Si quæras: Quibus nam hæc justificandi ratio propo-  
sita sit, num tantum paucis quibusdam ex peculiari & ab-  
soluto Dei decreto electis, an vero multis?

Respondet Apostolus, *omnibus hominibus*, nemine ex-  
cepto. Sicuti enim omnes sunt sub peccato, & destitun-  
tur gloria coram Deo: Ita omnibus quoq; in Christo pro-  
posita ratio consequendi justificationem à peccato & effu-  
giendi iram Dei. Nulla itaq; hic particularitas fingenda est:  
Vult enim Deus serio omnes & iustitiam & vitam conse-  
qui in filio suo.

### LXXVII.

Si deniq; quæras: In quibusnā verè & efficaciter seu  
actu iustitia hæc inveniatur, & sit? Respondet Apostolus,  
Revelatur *in omnes & super omnes qui credunt*. Ostendens  
nimirum & alterum genus universalium propositionum,  
sed limitatum.

### LXXVIII.

Omnes enim in Christum verè credentes hoc gratui-  
tæ iustificationis beneficio gaudent. Qua asseveratione ex-  
cluduntur omnes præcedentium peccatorum respectus, &  
simul includuntur omnes infirma fide præditi, Non enim  
sunt *ἀπίστοι* sed *ὀλιγόπιστοι*, & tamen credentes: Proinde verè  
iustitiæ Dei participes, per eundem Christum languida  
apprehensum fide, quem alij firma fide amplectuntur.

### LXXIX.

Quin etiam vis universalis propositionis est exclusi-  
va, sicut enim omnes omnino credentes justificantur per  
Christum, ita soli credentes, & non operantes, vel propriam  
justitiam constituere volentes, justitiae Dei sunt participes.  
Rom. 4. vers. 4. Non potest igitur ex hoc dicto universalis  
quaedam justificatio omnium hominum sive credant sive  
non extrui.

### LXXX.

Quarta questio in textu Apostolico est, de causis effi-  
cientibus principalibus vers. 24. & 25 quae sunt, *gratia Dei*  
& *redemptio Christi*. Est sane Deus ipse iudex totius orbis,  
qui sententiam judicalem in verbo suo pronunciat super  
omnes, secundum vocem Legis, vel Evangelij, impios &  
incredulos condemnans, credentes in Christum justificans  
vers. 26.

### LXXXI.

Quæritur verò, Quibus impulsus causis credentes in  
Christum justificet seu pronunciet justos & liberos à male-  
dicto Legis? Num operibus nostris præteritis aut futuris,  
num debito aliquo, an vero ex gratia? Respondet Apосто-  
lus justificantur credentes *per gratiam ipsius* ἐν χάριτι vers.  
26. id est per tolerantiam & mansuetudinem, hoc est gra-  
tuitum favorem seu dilectionem, qua diligit in dilecto filio  
suo quotquot in eum credunt. Et hanc esse vim vocabuli  
gratiae hoc in loco ipsa textus evidentia necessario convin-  
cit: De quo alibi plenius dictum est à nobis. Vide dispu-  
tationem de justificatione th. 50. & seq.

### LXXXII.

Altera causa impulsiva & meritoria justitiae nostrae  
est *redemptio Christi*, cujus obedientia, tam activa quam pas-  
siva, seu preciosi sanguinis effusione, redempti sumus à po-  
testate Diaboli & mortis & à maledictione Legis.

Non



### LXXXIV.

Non potest enim nec vult Deus peccatorem iustificare nec ullum peccatum remittere, nisi iustitiæ suæ in Lege patefactæ, pro eo satisfiat. Hæc satisfactio vel ab alio est præstita, vel à nobis præstanda. Sed hæc posterior est nobis impossibilis, quia Lex est infirmata per carnem & caro Legi Dei non subijcitur. Rom. 8.

### LXXXV.

Nisi igitur aliena obedientia nobis imputetur, impossibile est quemquam coram Deo iustificari. Ideo Christus Iesus venit in mundum, factus sub Lege, ut eos, qui sub Lege erant redimeret, ipse factus pro nobis maledictum, ut nos essemus iustitia Dei in ipso. Vnde quæ nostra sunt, ipse in se derivat, & quæ sua sunt, nobis communicat. Blasphemi igitur & ingrati sunt Papistæ in Christum, qui eius sanguini sua & aliorum meritoria quæ fingunt opera adjungunt,

### LXXXVI.

Quinta quæstio causam justificationis formalem concernit vers. 24. & 25. quam exprimit Apostolus his verbis *justificantur, gratis per remissionem peccatorum*. Iustificari hoc loco idem esse quod iustum pronunciarì seu in iudicio absolvi supra dictum est. Hæc absolutio quæ fit imputatione (sicut cap. 4. dicetur plenius) est gratuita sine meritis operum, estq; in remissione peccatorum,

### LXXXVII.

Illustrat hanc causam Apostolus similitudine ex veteri Testamento desumpta, qua Christum dicit esse omnibus propositum ut *ἡ ἀρχὴ τοῦ οὐρανοῦ*, quod olim arcam fœderis integens, erat typus Christi regentis peccata nostra ne in conspectum Dei veniant.

### LXXXVIII.

Dicit vero remitti nobis tantum peccata *πρὸς ἁμαρτίας*, ut ostendat remissionem peccatorum tantum contingere poenitentiam agentibus, & de admissis peccatis serio dolentibus & habentibus propositum non amplius peccandi.

Postre-

## LXXXVIII.

Postrema quaestio est de causa finali, ob quam Deus peccatores in iudicio suo constitutos & in Christum credentes absolvit, nimirum, ut ipse sit justus, ad ἐνδεξιῶν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ. Ita enim Dei iustitia in ipso actu gratiae patet, quod nimirum non recipiat peccatorem in gratiam, nisi plenissima satisfactione pro peccato praestita. Qui igitur suis operibus comparent in iudicio Dei & putant sibi deberi iustitiam & vitam aeternam, hi simul in Dei iustitiam & misericordiam impingunt.

## LXXXIX.

Dicamus itaq; cum Apostolo conclusivè λογίζομεθα ὅτι πῶς δικαιώσῃ ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου.

## XC.

Considerent quoq; piæ mentes quam longè tota orationis & disputationis Paulinae series absit à commento Papistico, de justificatione seu infusione habituum virtutis.

Alterum membrum secundæ partis capituli tertij, continens trium objectionum solutionem.

## Prima obiectio.

### I.

**V**bi gloriatio? Antea concesserat Apostolus Judæis aliquam esse prerogativam præ gentibus, sitam in patefactione divina. Horum quis ita querat. Si ea est iustitiæ  
coram

coram Deo consequenda ratio, an igitur gloria-  
tioni nostra nullus est locus? Respondet  
Apostolus, Nullus: Sed exclusa est gloria-  
tio non per legem factorum, sed per legem fidei.

II.

Legis vocabulum hoc loco doctrinam de-  
notat, phrasi Hebraea: Gloriatio omnis exclu-  
ditur non per Legem seu doctrinam operum,  
sed per doctrinam Evangelij, de fide in Chri-  
stum. Estq; hac vera Evangelica doctrina  
nota, qua omnem gloriandi materiam nobis  
adimit & justitia ac vita aeterna beneficium  
soli Christo acceptum fert, non propria digni-  
tati & sanctitati. Ephes. 2. vers. 9.

## Secunda objectio.

I.

**D**Einde Iudaei objiciebant dignitatem fœ-  
deris sui cum Deo: Ipsi enim in Veteri  
Testamento soli erant populus Dei. Huic vi-  
detur adversum quod Paulus ante dixerat,  
justitiam Evangelij revelari in omnes & su-  
per omnes qui credunt.

D

Respon-

## II.

Respondet Apostolus. Etsi ad tempus Deus certo alicui populo sese devinxit: Tamen non minus est gentium Deus, quam Iudeorum. Adhuc sicuti unus est Deus, ita unicam quoque justificandi rationem tantummodo habet, tam circumcisos, quam preputium habentes, nimirum per fidem.

## III.

Asseritur hoc testimonio gentium vocatio ad Ecclesiam catum, de qua nota sunt dicta Genes. 49. Esa. 60. Psal. 2. Psal. 72. &c. Non enim est prosopolepsia apud Deum Actor. 10. Rom. 2.

## IV.

Vnam eandemque justificationis rationem esse docet Apostolus, idque argumento hoc, quia semper idem est Deus sibi similis, eademque omnium hominum conditio, quod in peccatis concepti sunt & nati. Hinc adeo est, quod una tantum est ratio recuperanda justitiae per unicum generis humani mediatorem Christum. 1. Tim. 2. Roma. 5. Ephes. 4.

Tertia

## Tertia objectio.

I.

Postremò Judæi objiciebant autoritatem Legis, quam judicabant everti doctrinâ Pauli de gratuita justificatione peccatoris coram Deo: Respondet Paulus, tantum abesse, ut hac doctrinâ Legis autoritas labefacteretur, ut ea potius stabilietur.

II.

Idem prorsus doctrinâ de gratuita justificatione peccatoris objiciunt Pontificij, clamitantes, bona opera à nobis prohiberi, Legem destrui: Quod indicio est Pharisæicis opinionibus de operum meritis Antichristi Romani gentem fascinatam esse.

III.

Respondemus verò cum Apostolo, nos Legem & bona opera non prohibere, sed ea per fidem stabilire, dum ostendimus ea facienda esse ex fide, ad gloriam Dei & gratitudinem nostram declarandam, non ad placandam iram Dei, & expianda peccata: Cum

D. 2

ad

ad hac beneficia acquirenda vel applicanda,  
hominum opera omnino sint inepta.

IV.

Memoranda porro sententia est, qua  
legem stabiliri per fidem affirmat Apostolus.  
Quod enim Legi erat impossibile, id Deus  
misso filio in nobis efficit, imputando alienam  
justitiam & obedientiam Legi perfecte con-  
gruentem, ut justificatio Legis in nobis im-  
pleatur. Rom. 8.

V.

Neminem enim recipit Deus in grati-  
am, nisi qui Legi perfecte satisfecit, Quod  
cum nemo per semetipsum possit efficere, cre-  
dentes obedientiam Christi perfectissimam  
fide suam faciunt & sic Legem per fidem non  
evertunt sed stabiliunt.

Soli Deo gloria

AB 22 841 (1)

ULB Halle 3  
002 043 793




Sb.


W19

Hilf.









17,5 15

DISPUTATIO QUINTA  
EX EPISTOLA AD  
ROMANOS, CONTINENS  
ἐπιλογὴν secundæ partis capituli  
tertij;

*Cujus positiones, divina adjuvan-  
te gratia,*

PRÆSIDE DAVIDE RVN-  
GIO, S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-  
fessore, in Academia Vitebergensi, in privato dispu-  
tationum Theologicarum collegio de-  
fendit, 28. Februarij.

M. ENGELBERTVS ENGELS  
Marcoduranus.



VVITEBERGAE.

*Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1596.*

